



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XXVI. De adoratione Crucis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

coluntur; nam reliquiæ idè merentur honorem, quia ratione contactus, vel aliquo alio modo habitudinem habent ad eos, quorum sunt reliquiæ.

CAPVT XXVI.

De adoratione Crucis.

ETSI CRUX Domini partim inter reliquias veneretur, partim inter imagines (nam crux illa vera, in qua Dominus pependit, propter contactum sacri corporis & sanguinis, inter preciosissimas reliquias habenda est, nec solum ipsa integra, sed etiam particulæ eius; at crux illa eadem, quatenus figuram crucifixi Domini repræsentat, & similiter ceteræ cruces illi similes, inter sacras imagines numerantur) tamen quia peculiaris errores, & peculiaris argumenta de cruce inveniuntur, peculiarem etiam de illa disputationem instituendam putauimus.

Fuit igitur hæresis in primis Claudij Taurinensis, qui præter ceteras imagines crucem Domini execrabatur, teste Iona lib. 1. vixit autem Claudius anno Domini DCCC. Idem eodem tempore in Oriente dicebant Pauliciani, à quodam Paulo sic appellati, teste Euthymio in panoplia, parte 2. tit. 21.

Deinde circa annum Domini M. C. XXX. exstiterunt Petrus Bruis, & Henricus, qui similiter crucem Domini, eiusq; cultum oppugnabant, teste Petro Cluniacensi, qui contra eos epistolam prolixam & eruditam illo ipso tempore scripsit ad omnes Episcopos. Circa idem tempus, vel paulò post exstiterunt in Oriente Bogomiles, qui idem iisdem argumentis docebant, teste Euthymio panopl. part. 2. tit. 23.

Non minus postea crucis honorem detestati sunt Wiclefista, apud Thomam Waldensem, tomo 3. tit. 20. Calvinus lib. 1. Institut. cap. 11. §. 7. Magdeburgenses Centuria 4. cap. 4. col. 302. cap. 6. colum. 458. & 459. vbi etiam impudenter mentiuntur, vsum signi crucis seculo IV. nouum fuisse. Nam Tertullianus libro de corona militis, meminit signi crucis, cum tamen floruerit seculo II. Sicut etiam Cent. 7. cap. 6. col. 191. mentiuntur, Sergium Papam fuisse auctorem primum, vt
cru

crux adoraretur, & exosculetur. Nam Sergius Papa sedit anno Domini DC. LXXXVIII. at meminit adorationis & exosculationis crucis Euagrius lib. 4. cap. 26. qui est centum annis Sergio antiquior. meminit etiam Hieronymus in epistola ad Marcellam, ut migret Bethlehem.

Argumenta Bogomilum & Petrobrusianorum erant tria **PRIMUM**, quia crux dolorem & ignominiam Christo contulit, ergo detestanda est iis, qui Christum diligunt.

SECUNDUM, quia stultus & impius iudicaretur filius, qui patibulum amaret, & honoraret, in quo pater eius suspensus fuisset.

TERTIUM, quia si oportet adorare omnes cruces, quia Christus in cruce pependit; oportebit etiam adorare omnia sepulcra, quia in sepulcro Dominus quieuit; & omnia praecipua, quia in praesepe reclinatus fuit; & omnes columnas, lanceas, spogias, flagella, &c. *Immo & omnes asinos* (inquit Claudius) *quia Christus asino vectus fuit.*

QUARTO arguit Claudius, hostes Christi gaudebant de passione Domini, de resurrectione dolebant; & contra, amici eius de passione dolebant, de resurrectione gaudebant, ergo qui crucem honorant, & illam amant, imitantur Christi hostes.

QUINTO argumentabantur Wiclefistae apud Waldensem, si ratione contactus, vel quia instrumentum passionis fuit, crucem adoramus, oportebit etiam adorare labia Iudae, quae contigerunt os Domini osculando, & manum illius Ieremii, qui Dominum tetigit, cum alapam illi infixit; nam haec omnia tetigerunt Dominum, & instrumenta passionis fuerunt.

SEXTO arguunt Centuriatores, superstitio est characteribus tribuere virtutem: at Papistae tribuunt figurae crucis virtutem pellendi Daemones, & omnia mala: ergo superstitiosi sunt. Quae obiectiones infra cap. 30. diluentur. antea vero rem explicabimus. Dicemus igitur tria; Primò, de ipsa cruce.

Secundò, de crucis imagine. Tertiò, de signo crucis transeunte.

